



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ  
Principia Et Usum**

De iudiciis civilibus

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii [u.a.], 1765**

Titulus XII. De Forma Iudicii Ecclesiastici Civilis In Prima Instantia. Initium  
Iudicii explicat

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68163](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68163)

TITULUS XII.  
DE FORMA IUDICII ECCLE-  
SIASTICI CIVILIS IN PRI-  
MA INSTANTIA.

## §. 141.

*Processus  
in Curia  
Romana  
ad certos  
Terminos  
redigitur;*

**S**I Controversia pacificis remediis, Interpellatione extrajudiciali, Transactione, Compromisso, Spontanea Renuntiatione sopiri non potest, devenitur demum ad Processum Judiciale: per hunc intelligitur *legitima actuum ad litis disceptationem necessariorum series*. Cum autem olim magno temporis & sumptuum dispendio, Judicia sine certo ordine peragerentur, **URBANUS V.** Papa totum Processum redigit ad aliquot Terminos, intra quos singuli actus Judiciales imperturbato ordine peragendi essent. Per Terminum intelligitur certum temporis spatium ad agendum præstitutum. Cum  
vero

---

UM Saxon. lib. 10. c. 38 De Duce Sleswicensi, qui ad causam componendam cum Rege Daniæ, in Bohemiam vocatus a Sigismundo Imperatore, ibi nec Arbitrum, nec partem adversam reperit. De qua causa plura narrat **CRANTZIUS** de Reb. Daniæ lib. 8. cap. 5. seqq.

vero tota lis uno actu finiri nequeat, necesse est, ut plures actus concedantur, quorum cuiusvis suus certus Terminus sit præfixus, & quidem certo ordine ad omnem confusionem evitandam. Sic Curia Romana in Causis, quibus decidendis constitutus fuerat Commissarius, dabat primum Terminum ad dicendum contra Commissionem, secundum ad libellandum, tertium ad articulandum &c. Numerus horum Terminorum restrictus fuit ex declaratione Rotæ Romanæ sub Urbano VI. 75.), præsertim pro casu, ubi Causa committitur, ut non servatis Terminis, sed sola rei veritate inspecta procedatur. Nec ista tamen hodie accurate servantur, quia stylus Romanæ, & omnis alterius Curia variis temporibus recipit varietatem uti advertit SCACCIA 76.). In Causis Beneficialibus & aliis summaris 77.), tam in Rota Romana, quam in Tribunali Auditoris Camera, necessarii hodie di-

M cun-

---

75.) Decis. 33. in Novis.

76.) De Judiciis Lib. 2. c. 3. n. 277.

77.) Quæ enumerantur in Clement. Dispensiosam. 2. de Judiciis.

*De Judiciis.*

*Uti etiam  
in Came-  
ra Impe-  
riali.*

cuntur Termini ad Articulandum, ad dicendum contra Articulos, ad producendum omnia, ad dicendum contra producta 78. ).

§. 142. Similiter in Camera Imperiali Ordo & Processus Judicii in certos Terminos est distributus 79. ). Cum tamen hodie abrogati sint libelli Articulati, Defensionales, Elisivi atque Responsiones ad illos, uti & Exceptiones contra illas Responsiones; item Duplicæ & superiores productiones in puncto Rotuli &c: hinc etiam Termini ad istos actus olim requisiti, hodie sublatis sunt, & ad quinque restricti 80. ). Isti etiam Termini ad quamvis litis disceptationem non precise requiruntur; sed pro diversitate

---

78. ) Vid. VANTIUS de Nullit. sentent. ex defect. Process. n. 57. seqq. SCACCIA loco cit. q. 13. RIDOLPHIN. prax. Judic. p. 2. c. 1. a n. 93.

79. ) Ord. Cam. p. 3. tit. 12. seqq. item Concept. nov. ord. Cam. p. 3. tit. 11. seqq.

80. ) Vid. Rec. Imp. noviss. 1654. §. 35. seqq. Agenda in singulis Terminis recenset JACOB. BLUMEN Process. Camer. tit. 76. n. 37. seqq. item Autor Notarum ad dict. Concept. ord. Cam. tit. 11. & 12.

te Causarum ac circumstantiarum, modo plures, modo pauciores termini necessarii sunt.

§. 143. Terminus, prout certum aliquem actum Judiciale respicit, datur vel ab ipsa Lege, veluti de Jure Communi decem dierum ad interponendam Appellationem; vel ex Conventione partium, ut si quis cavet de Procuratorio intra certum tempus producendo, altera parte tacente, aut expresse concedente: vel a Judice pro ejus prudenti arbitrio, habitatione loci, causæ, ceterarumque circumstantiarum, quatenus Judicii stylus, aut Judicis Officium id requirit. Sic Judex designat terminos, ad comparandum in omnibus citationibus; præfigit terminum probatorium &c. &c.

*Terminus datur a Lege, a partibus, vel a Judice.*

§. 144. Hodie quivis Terminus ad agendum est præjudicialis & peremptorius, id est, elapso termini istius ultimo momento, si quis agere potest, & non agit, illud præjudicium incurrit, ut postea agere nequeat. Sic si quis intra terminum ad respondendum libello præfixum non respondeat, præjudicium est, quod libellus pro confessato accipiatur, & præcludatur

*Termini præjudiciales.*

via opponendi defensionales 81. ). Nilominus juxta stylum Curiaę sæpe conceditur, ut jussus agere intra certum terminum, non teneatur mox id præstare primo die judiciali. Sic in Romana Curia Terminus ad Articulandum est ad *Duodecimam*, id est, sufficit, si elapso dato termino articuli exhibeantur intra sequentes duodecim dies Judiciales. In Camera Imperiali primus Terminus ad comparandum circumductus censetur, si post elapsum Terminum intra sex dies Judiciales citatus non compareat 82. ). Si tamen propter legitimum impedimentum agenda in termino peragere non liceat, hujus Termini extensionem seu prolongationem petere licet: & Judex per Interlocutoriam concedit longius tempus cum Clausula *pro termino & prorogatione*, quæ prorogatio petenda est ante lapsum præjudicialis Termini. Si intra Terminum etiam prorogatum non agatur, Terminus ille dicitur *purificatus*. Post Terminum vero purifica-

---

81.) Prima ad comparandum citatio continet tres terminos, uti dicetur Tit. seq.  
82.) Conc. Ord. Cam. p. 3. tit. 12. §. 21. seqq.

rificatum, tempus pro novo termino postulare non licet, cum adversæ parti jus jam quæsitum, quod ei absque causæ cognitione, ac citra remedium Restitutionis in integrum, non est adimendum. Licet tamen Terminum anticipare, id est, ante ultimum Termini præjudicialis diem agere, excepto Termino Citationis; nam quando utraque pars ad comparandum certa die vocatur, neuter potest prævenire alterum ante determinatum diem. Porro pro Computandis Terminis notandum, quod in Curiis Romanis, & in Camera Imperiali pro quovis mense numerentur triginta dies; ad hos computandos solet poni tabula pro anno communi, & altera pro anno Bissextili 83.)

§. 145. Quamvis in his partibus nec numerus, nec nomina horum Terminorum scrupulose attendantur: nihilominus hodiernus Judiciorum præsertim Ecclesiasticorum ordo dictis Terminis proxime accedit, ejusque forma ex Jure Canonico potissimum desumpta 84.) in Causis civilibus com-

*Forma hodierna Judicii.*

M 3 pre-

83.) BLUMEN Proc. Camer. tit. 76. §. 33.

84.) Forma Judicii Summarii traditur in

prehenditur, fere sequentibus Articulis.

*Initium  
litis re-  
spectu Ju-  
dicis per  
Citationem :*

§. 146. Actor accedit Judicem Rei, & oblato libello petit, ut Processum admittat, Adversarium citet, & litem sua sententia dirimat. Judex de competentia sua persuasus, citat Reum ad certam diem & locum, misso juxta communem hodiernam consuetudinem libello, ut deliberare possit, num litigare velit, vel petitioni Actoris cedere. Per hanc Citationem obtinet Judex jus præventionis adversus alios Judices: adeoque hoc est initium litis respectu Judicis. Si compareat Reus, proponit, si quam habet, Exceptionem fori declinatoriam, vel Judicii dilatoriam: vel etiam reconvenit suum Actorem coram eodem Judice.

*Respectu  
partium  
per litis  
contestationem :*

§. 147. Declarato animo litigandi exigitur a partibus Cautio de Judicio sisti, & judicatum solvi; a Procuratoribus Cautio de Rato. Fit litis contestatio, per quam proprie inchoatur litis respectu partium; & Reus respondet ad libellum. Sequitur Juramentum

---

Clement. 2. de Verb. Signif. quam interpretatur PAX JORDAN Vol. 3. lib. 13. de Judiciis tit. I.

tum calumniæ, si petant partes. Quando Causa factum ambiguum involvit, fiunt positiones ab una parte, quibus respondetur ab altera, observatis semper præfixis terminis: posset præmitti Juramentum dandorum & respondendorum.

§. 148. Quæ post responsiones ad *Ejus propositiones* manent controversa inter *secutio* Actorem & Reum, sunt litis futuræ usque ad materia: circa quam exhibentur ab *sententia* Actore Articuli probatorii, & Interrogatoria a Reo. Actor ad intentionem suam evincendam producit Probationes per Testes, Instrumenta &c. Examinantur Testes: publicantur Attestationes &c. Reus opponit suas Exceptiones, quas eodem modo probat. Finitis utrinque allegationibus, Replicationibus, Duplicationibus, concluditur in causa: & pronuntiatur *Sententia*. Si huic partes acquiescant, sequitur *Executio*: si vero alterutra se gravatam existimet, provocat ad Superiorem Judicem, & appellat: interim nihil attentatur Sic finitur prima Instantia: hoc enim nomine intelligitur actualis exercitatio Judicii per tempus, intra quod finiri debet judicium: de Jure Civili conceditur biennium in Criminalibus, &

triennium in Causis Civilibus: quo lapso tempore perimitur Instantia juxta rigorem Juris Civilis, qui rigor hodie non observatur.

*Substantialia  
semper  
observanda.*

§. 149. Ex his substantialia, Juri naturali conformia, & in omni etiam Summario Judicio observanda sunt, ut Causa litigiosa coram competente Judice proponatur: illis, quorum interest, auditis examinetur: & per sententiam decidatur, demum executioni danda. Hac ratione *simpliciter & de plano, ac sine strepitu Judicii & figura*, id est, summarie procedi statuit Jus Canonicum 85.) in Causis super Electionibus, Postulationibus, vel Provisionibus, Beneficiis, Decimis, Matrimoniis, Usuris &c. Hodie autem in Foro Ecclesiastico in omnibus aliis Causis servari hæc forma Summaria potest. Nam PIUS IV. & CLEMENS VIII. statuerunt, ne attendantur nullitates, nisi ex defectu Citationis, Jurisdictionis aut Mandati. Hæc Constitutio ad solos Judices temporalis Domini Ecclesiæ Romanæ directa est: nihilo-

---

85. ) Clem. Dispendiosam. 2. de Judiciis

nihilominus stylum Curia Romanæ tuto sequuntur alia Ecclesiæ 86. ).

§. 150. Antequam lis inchoetur, *Lites non deberent partes exposita sincere causa, inconsul- consulere Viros doctos & probos, aut to incho- petere Responsum Collegii Juridici ande.* cum rationibus dubitandi & deciden- di, ut cognoscant, an sufficientem ha- beant litigandi rationem, & spem vi- ctoriæ. Ad hunc finem utile est, si Parochi in pagis, ubi aliorum docto- rum Virorum copia non datur, ali- qua Juris notitia imbuti sint, ut ho- minibus rudibus & simplicibus suade- ant desistere a litigiis, quando Causam fovere videntur deteriorem. Nam ta- li admonitione destituti cæce ad Tri- bunalia properant, ubi mox invenient Advocatum, qui Causæ etiam despe- ratissimæ patrociniûm præstabit, & sub vana spe victoriæ oculos emun- get.

§. 151. Hucusque tradita spectant *Processus potissimum ad Processum Summarium executi- in specie talem; est autem etiam Sum- vus marius, qui vocatur Executivus, in*  
M s quo

86. ) PAX JORDAN de Judiciis lib. 13. tit. 1. n. 68. seqq. PIASECIUS prax. Episc. p. 2. c. 4. art. 10. de Ordine Judicior. fol. 316. seq.

quo prompta & parata executio intenditur. Iste Processus nec probationem per testes, nec delationem jurisjurandi admittit, sed Instrumentum guarentigiatum, id est, ipsius debitoris confessione, & publica Notarii fide firmatum, prærequirit. Tale Instrumentum debet esse *clarum* ratione *materiæ*, ut inde eluceat, quid, quale, quantum, a quo & cui debeatur; etiam ratione *causæ*, id est, ut causam debendi, eamque specialem contineat. Dein debet esse *purum*, quod non contineat diem incertum aut conditionem, nisi aliunde constet de adventu diei incerti, aut existentia adscriptæ conditionis. Unde executive non agitur ex Instrumento super contractu bilaterali æquali, nisi probato a parte Actoris implemento.

Quando  
habeat  
locum?

§. 152. Datur itaque regula: quoties omnia libelli capita ex documento in continenti probari possunt, toties executive agi potest; hoc est, potest mox ejusdem documenti recognitione, eaque facta, executio peti. In hac petitione comprehenditur etiam jurata Diffessio, id est, petendo recognitionem, censetur simul peti, ut si conventus nolit Scripturam suam

reco-

recognoscere, eam jurato diffiteatur. Huic Processui Executivo non tantum in actione personali, sed etiam in reali locus esse potest, modo jus in re a parte Actoris, & possessio a parte Rei, in continenti ex documentis probari possit. In hoc Processu solæ locum habent Exceptiones in continenti liquidæ; quæ autem sunt altioris indaginis, non impediunt executionem, sed rejiciuntur ad separatum, vel ad Reconventionem, qualis sæpe est exceptio Compensationis. Si vero exceptio ejus sit naturæ, ut onus probandi in Actorem rejiciat, qualis est exceptio non numeratæ pecuniæ contra chirographum ante biennium; hæc non solum admittitur contra executive agentem ex chirographo, sed etiam qui timet sibi movendam esse litem, potest Actorem prævenire, instituendo Processum Summarium in specie talem per conditionem chirographi. Ut autem hac arte debitor, alias exceptiones per modum actionis proponendo, præveniat Executivum Processum, quem contra se moveri credit, non videtur tolerandum a Judice 87.).

§. 153.

---

87.) Sub hac distinctione intelligitur mo

*Præcipue circa literas Cambiales:* §. 153. Processus Executivus locum præcipue habet circa Literas Cambiales, quarum præmissa recognitione, juxta Statuta multorum locorum debitor etiam arresto personali detineri potest, donec solvat; exclusis omnibus exceptionibus non numeratæ pecuniæ, ordinis & divisionis. Si debitor Cambialis, eludendi Arresti personalis causa eum in locum secesserit, ubi jus Cambii usu non servatur, potest nihilominus ibidem ex eodem jure valide conveniri, & arresto detineri, modo contractus sit in loco, ubi jus cambiale receptum est (88.).

*Processus Provocatorius.* §. 154. Singularia quædam habet Processus Provocatorius, quando Actor ad agendum provocatur. Species illius est Processus ex L. Diffamari. de quo supra dictum ad finem Tituli IV. de Actore & Reo. Huic in multis æquiparatur Remedium ex L. Si contendat. 28. ff. de Fidejussor. & Mandator. vi cuius Fidejussor, cui competit beneficium divisionis, potest officium Judi-

---

nitum SCHILTERI Exercit. ad Pandect.  
13. §. 19.

88.) De BERGER Electa Process. Execut.  
§. 51.

Judicis implorare, ut dividatur inter se & confidejssorem actio, ne Creditore diutius cunctante, exceptio divisionis pereat, dum scilicet confidejssor inidoneus fiat. Hoc beneficium, ex interpretatione Glossæ, & communi usu datur omni debitori, cui exceptio competit, quo petit citari Creditorem ad audiendam exceptionem; & nisi faciat, ipsi silentium imponi. Unde, licet Practici aliud hodie intendant, ex hac Lege non provocatur Creditor ad agendum, sed potius ad replicandum: fatetur enim debitor suum debitum, sed habet quam opponat exceptionem, & hanc sibi salvam manere cupit per Judicis declarationem, curatque, Actore cunctante, ne defensio suæ Exceptionis reddatur difficilius aut deterior. Unde non petit Provocans, ut alter agat, aut ipse absolvatur ab actione, cum actio in judicium nondum sit deducta: sed persistit in sola conservandarum exceptionum cura: Silentium autem, quod imponitur Provocato, non ad actionem, sed ad replicam referendum est 89. ). Aliæ insuper quædam

---

89. ) De Processu ex L. Si contendant, vid.

dam Lites exigunt modum in Judicio  
diversum a Summario in specie tali:  
uti in Processu Possessorio, Edictali,  
Matrimoniali, Feudali &c. de quibus  
alibi jam dictum, vel infra dicendum  
est.

TITULUS XIII.  
DE SUPPLICATIONE PRO  
IMPETRANDO PROCES-  
SU, ET LIBELLI OB-  
LATIONE.

*Conf. Decretal. Lib. II. tit. 3. § II.*

§. 155.

*Supplica-  
tio tendit,* **O**BFIRMATO ad litigandum animo,  
tandem eundem ad Judicem, in-  
tuitu Rei & Causæ competentem. In  
Causis levibus, ubi partes præsentem  
sunt

---

de BERGER. in Electis Processus Pro-  
vocatorii. BRUNNEMAN ad eand. Leg.  
De Forma Judicii Ecclesiastici consuli pos-  
sunt OCTAVIANI VESTRII Introductio  
in Rom. Aulæ Actiones &c. cum Anno-  
tationibus GRAVATII. SIGISMUNDUS  
SCACCIA de Judiciis. PETRI RIDOL-  
PHINI Praxis Recentior. CAROLI PEL-  
LEGRINI Praxis Vicariorum.